Quelle: http://manuscripta.at/?ID=944
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



obtulerunt. tributum precium pacis est. Nos tributa dispendimus. ne bella
paciamur. ac per hoc in portu ad quem illi tandem pro euadendis tempesta
tibus malorum confugerunt: nos consistimus et remanemus. Igitur nostra tempora uide
rimus. utrum felicia certe feliciora illis ducibus quod quod illi ultime ele
gerunt. nos continue possidemus. In quietudo enim bellorum qua illi attriti
sunt. nobis ignorata est. in ocio autem quod illi post imperium cesaris. natiuitatem
temque xpi. tenuerunt gustauerunt. nos nascimur et senescimus. Quod illis erat de
bita pensio seruitutis. nobis est libera collatio. et consolatio defensionis. tamque
inter est inter preterita presentiaque tempora. ut quod roma in usum luxurie sue
ferro extorquebat. a nostris nunc in usum communis rei publice conferat
ipsa nobiscum. Aut si ab aliquo dicitur tolerabiliores parentibus nostris ro
manos hostes fuisse. quam nobis gothos esse. audiat et intelligat. quanto
aliter quam circa se ipsum agitur. sibi esse uideatur. Olim cum bella toto orbe
feruebant. queque prouincia suis regibus. suis legibus. suisque moribus utebatur.
nec erat societas affectionum. uel dissidebat diuersitas potestatum. postre
mo solutas et barbaras gentes quid tandem ad societatem adduceret.
quas diuersis sacrorum ritibus institutas et religio separabat. Si quis
igitur tunc acerbitate malorum uictus. patriam cum hoste deseruit. quem
tandem ignotum locum ignotus adiit. quam gentem generaliter hostem hostis
orauit. cui se congressu primo credidit. non societate nominis inuitatus.
non communione uiris adductus. non religionis unitate securus. An parum
exempli dedit bosiridis in egypto peregrinorum infelicitate incurrentium
impiissimus immolator. crudelissima circa aduenas diane taurice
litora. sed magis sacra crudelissima tracia cum polimestore suo usque
ad propinquos hostes scelerata. Et ne antiquitatibus uidear immorari.
testis est roma de pompeio interfecto. testis egiptus de interfecto rege pto
lomeo. Michi autem prima qualescumque motus perturbatione fugienti. qua
fide confugiendi stacione securo. uel quam patria. uel quam lex et religio mea est.
Hec me affrica tam libenter excepit. quam [illegible] confidenter accessi.
nec me in quam ista affrica excepit pace simplici. sinu proprio. iure com
muni. de qua aliqua aliquando dictum est. et uere dictum est. hospicio
prohibemur. harene bella scient. primaque uetant consistere terra. Hec ultro
ad suscipiendos socios religionis et pacis sue. beniuolum late gre
mium pandit. et ultro fessos quos foueat inuitat. Latitudo ori
entis. septentrionis copiositas. meridiana diffusio magnarum in

Nullus sacrificium